

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXVI - N. 2

2004

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSIGLIO
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRIS 2004

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

| | |
|---|-----|
| Allocutio ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Limina Apostolorum visitantes | 175 |
|---|-----|

EX ACTIS CONSILII

| | |
|--|-----|
| QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE | 179 |
| RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS | 181 |
| SYNTESIS GENERALIS LABORIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO | 183 |

EX ACTIS PONTIFICIA COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

| | |
|---|-----|
| Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio I) | 236 |
| Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio II) | 250 |
| Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio III) | 277 |
| Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio IV) | 306 |
| NOTITIAE | 334 |
| OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA | 336 |

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDII «DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS»

Sessio I^a

(diebus 23-27 ianuarii 1967 habita)

Adunatio I^a

die 23 ianuarii 1967 habita

Diebus 23-27 ianuarii 1967, in aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas Codicis J.C. «De bonis Ecclesiae temporalibus».

Conventui intererant Exc.mus Jacobus Violardo, Rev.mus P. Athanasius Welykyj, Ill.mi ac Rev.mi Hercules Crovella et Vincentius Fagiolo.

Praeerat Rev.mus P. Raymundus Bidagor, Commissionis Secretarius qui Relatoris etiam munere fungebatur; actuarii autem munere fungebatur Rev.dus Franciscus Voto, a Studiis Commissionis.


Absentes erant Exc.mus Dinus Staffa, Ill.mus ac Rev.mus Antonius Mauro, Rev.mi P.P. Ulricus Beste et Daniel Faltin.

Relationem de quaestionibus propositis paraverat Exc.mus Violardo; Rev.mi Crovella et Fagiolo autem votum paraverunt.

Quaestiones a Secretaria Commissionis propositae erant sequentes:

Quaenam sint recognoscenda, scilicet mutanda, addenda aut suppri-menda:

1. in normis generalibus (cann. 1495-1498);
2. in normis de bonis Ecclesiae acquirendis (cann. 1499-1517);
3. de bonis Ecclesiae administrandis (cann. 1518-1528).



Rev.mus primus Consultor in sua relatione, scripto data, non evolvit quaestiones ordine et extensione a Secretaria propositas, siquidem ipse censuit quaestiones adhuc praeliminaires perpendendas esse quae ex Constitutionibus et Decretis Concilii Oecumenici Vaticanii II eruuntur quaeque ut basis novae codificationis habenda sunt.

Quaestiones illas praeliminaries introducit Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Commissionis, declarans documenta Concilii Vaticanii II praebere elementa aliqua omnino fundamentalia quae magnas consequentias habent in sistema bonorum ecclesiasticorum in Ecclesia; quoniam autem Rev.mus primus Consultor de istis elementis Concilii fuse in sua relatione tractat, ipse a Rev.mo Relatore invitatur ut exponat illas quaestiones mentemque suam circa illas aperiat.

Rev.mus primus Consultor legit quae in sua relatione continentur quaesitae ad 8 puncta sequentia reducuntur:

1. de fine et destinatione bonorum ecclesiasticorum;
2. de obligatione divitum dioecesium adiuvandi dioeceses pauperiores;
3. de assumendis laicis in adiutorium clericorum ad bona ecclesiastica administranda;
4. de honesta clericorum sustentatione et de ratione habenda circa mensuram remunerationis clericorum, quae fundamentaliter eadem pro omnibus esse debet;
5. de abolitione vel reformatione systematis beneficialis et de praeminentia officii ecclesiastici loco beneficij;
6. de persona morali quae sit domina bonorum ad sustentationem clericorum destinatorum et de eiusdem administratione;
7. de constituenda massa bonorum communium ad satisfaciendas personas Ecclesiae deservientes, ad variis dioecesis necessitatibus occurrentibus atque ad dioeceses pauperiores adiuvandas;
8. de praevidentia sociali in favorem cleri.

Omnes Consultores conveniunt quaestiones p[re]ae aliis difficiliores provenire ex praescripto Concilii de abolendo vel reformando systemate beneficiali et de praeminentia officii ecclesiastici loco beneficij.

Circa quam rem Rev.mus Relator notat quod si systema beneficiale relinquantur, ad aliquod aliud systema recurrentum est. Concilium Vaticanum II autem indicationem dat de illo alio systemate, praecipiendo ut «princeps in iure»

re tribuatur locus ipsi officio ecclesiastico», cui adnexum sit ius ad redditus. Res autem non caret difficultatibus sat gravibus, quia sive in hypothesi totalis abolitionis systematis beneficialis sive in hypothesi reformationis quae principaliatem tribuat officio, manet quaestio de dote ex cuius fructibus attingendum sit ad honestam sustentationem eorum qui determinatis officiis incumbunt.

Sed si de hoc tantum ageretur quaestio, esset potius technica quam de substantia. Dum enim per saecula locutum sit de beneficiis subintelligendo officia (beneficia propter officia), in futuro vero structura Codicis niti debet in officiis ecclesiasticis. Sed est alia quaestio quae maiorem difficultatem facere videtur. Concilium dicit officium esse «quodlibet munus *stabiliter collatum* in finem spiritualem exercendum». Notandum illud *stabiliter collatum* non esse idem ac *stabiliter constitutum*, proinde quis posset praevide-re quot sint necessitates spirituales ad quibus occurrentum officia tribuan-tur ita ut actu officium et constituatur et conferatur?

Rev.mus secundus Consultor: Textus Concilii Vaticani II de relinquendo systemate beneficiali interpretatione certo indiget. Mens Concilii vide-tur esse quod officium locum principem habeat in iure. Iamvero in Codice J.C. quid habetur? Nihil de paroecia, nihil de dioecesi ut subiectis iuris, ita ut parocho et Episcopo non paroecia vel dioecesis conferatur, sed benefi-cium aliquod cui adnexum sit officium parochi vel Episcopi.

Quod autem nomine officii intelligatur munus *stabiliter collatum* non autem *stabiliter constitutum*, Concilium vim facit in libera collatione officii secundum circumstantias, ita ut sine aliquo impedimento possit occurri ne-cessitatibus fidelium.

Rev.mus tertius Consultor: Putat Patres Conciliares illa de beneficiis dixisse praeoccupatione sociali et desiderio extollendi officium ecclesiasti-cum motos. Ceterum multi Patres Conciliares veniebant ex regionibus ubi beneficia omnino desunt.

Certe maxime recogitandum est de opportunitate adimendi bona singulis officiis (ubi adsunt). Hoc secumfert centralizationem bonorum et fo-vet multiplicitatem officiorum, quin dicatur de periculo quod Status civiles leges edant ad bona illa centralizata exquirenda vel confiscanda.

Censet sistema beneficiale non esse relinquendum. Habeantur autem in Codice duo capita distincta de bonis temporalibus ex quibus aliud agat de bonis stabilibus, aliud de bonis non stabilibus ita ut aliud et aliud sit re-gimen ipsorum.

Rev.mus quartus Consultor: Circa quaestionem fundamentalem de offi-ciis et beneficiis notat in hanc Commissionem CIC recognoscendo redire nunc illas quaestiones quas Concilium noluit vel non potuit resolvare. In suo voto narrat historiam quaestionis huius prout tractata fuit in Commissioni-

bus Conciliaribus. Censem non multum immorandum esse in terminologia a Concilio adhibita, quaerendo ex. gr. cur de officio dicatur *collatum* non autem *constitutum* et alia similia. Mens Concilii tandem aliquando videtur clara in sua fundamentali enunciatione ut scilicet officio ecclesiastico locus tribuatur princeps in iure, ne clericis beneficia pinguiora appetant.

Ceterum hoc praeceptum Concilii Vaticani II correspondet votis quae facta sunt a multis inde a momento preparationis ipsius Concilii. Prae aliis opportunum est revocare quae a Pont. Universitate Gregoriana proposita sunt circa quaestionem hanc. In voto Pont. Universitatis Gregorianae haec leguntur: « Ius canonicum constitutivum magis ac magis characterem beneficiale classicum derelinquat necesse est, ut aptiore dispositione ecclesiasticorum officiorum seu munierum innitatur. Ad quem finem pars generalis de officiis ecclesiasticis magis evolvenda videtur iuxta momentum, quod officium sacrum in institutionibus ecclesiasticis habet. Pars beneficialis seu ius ad reditus consideranda est tamquam habens secundarium momentum. Personalitas iuridica officiis ipsis tribuenda est ».

« Ideo pars generalis de officiis ecclesiasticis magis evolvatur oportet. In iis legislatio potius in doctrina personalitatis iuridicae, quam in antiquata consideratione officii beneficialis vel non-beneficialis niti debere videtur, ut flexibilior, celerior, accommodatior administratio ecclesiastica habeatur ».

« Pars beneficialis, qualis Hodie in Codice Iuris Canonici describitur, paroeciis potissimum applicatur. Nemo non videt quantum regimen paroeciale complexum fiat et immobile quantisque difficultatibus scateat ex parte ipsius dotis beneficialis seu ex administratione bonorum paroecialium. Ut paroecia Hodie necessitatibus accommodetur sive in sua constitutione sive in regimine spirituali sive in administratione temporali, officium parochi stabile quidem esse oportet, magis tamen exsolutum antiquis vinculis, quae ex conditione beneficiali institutionis paroecialis oriuntur » (*Acta et documenta Concilio Vaticano II apparando*, Series I, vol. IV, pars I, 1, p. 39).

Rev.mus quartus Consultor censem systema beneficiale relinquendum esse ut extollatur functio officii ecclesiastici cuius ratio et extensio tamen iuridice determinanda sunt.

Rev.mus primus Consultor dicit quaestionem de relinquendo systemate beneficiali afficere perpaucas regiones, scilicet Italiam, Hispaniam et Lusitaniam. Quinimmo Rev.mi Relator et secundus Consultor dicunt in ipsa Hispania non amplius existare beneficia cum dotibus propriis nisi paucissima; cetera autem cum pensionibus a Gubernio civili traditis. Circa beneficia in Italia existentia Rev.mus secundus Consultor notat ipsorum bona patrimonialia generatim esse omnino exigua, si ista vel illa dioecesis excipiatur. Utcumque omnes consultores tenent quod etiamsi beneficia non

possint aboleri ob difficultates locales, ipsorum administratio autem non amplius relinquenda sit parochis vel sacerdotibus in genere. Decernendum est systema aliquod administrationis in quam etiam reditus beneficiorum confluant ita ut honestae sustentationi clericorum provideri possit.

Adunatio II^a

die 21 ianuarii 1967 habita

Sunt praesentes Rev.mi tertius, secundus et quartus Consultores, Rev.mus Bidagor, Secretarius Commissionis, et Rev.dus Voto, actuarius.

Rev.mus secundus Consultor censet quod per se huic Coetui competit materia de bonis Ecclesiae temporalibus non autem de officiis et beneficiis. Sed Rev.mus Relator notat capacitatem possidendi et administrandi supponere determinationem personalitatis moralis cui illa iura competit, proinde non posse praescindi ab officiis, etsi materia de officiis ad Coetum «de personis» per se pertineat. Nam personalitas iuridica officiis ipsis tribuenda videtur, iuxta mentem Concilii. Certe non omnibus omnino officiis potest tribui personalitas moralis, cum adsint aliqua munera quae non gaudent caractere stabilitatis et non sint ad finem spiritualem nisi lato sensu, ut puta sediarius in Ecclesia. Necessarium est ergo determinare criteria rigida ne munera cuiuscumque generis ut officia habeantur.

Rev.mus tertius Consultor querit quomodo possint bona ecclesiastica inhaerere variis istis officiis quin habeantur eadem incommoda ac in sistente beneficiali.

Rev.mus secundus Consultor: Officium habebit non ius ad *bona*, sed ius dominii in *reditus* determinatos.

Rev.mus tertius Consultor: Sed acceptio bonorum ecclesiasticorum implicant non tantum ius ad reditus sed etiam possessio, administratio etc.

Rev.mus quartus Consultor: Personalitas iuridica officiorum convenit ut tantum nominalis sit, dum iura effectiva possidendi, administrandi, etc. competere debent tantum paucis personis moralibus a iure statutis.

Rev.mus Relator: Delimitanda ergo ac restringenda ratio qua iura personae moralis officiis ecclesiasticis tribuantur.

Rev.mus quartus Consultor: Concilium Oecumenicum Vaticanum II locutum est de officiis sensu lato — ut appareat in Relatione — circa rationem qua elaboratum est «Schema propositum de Sacerdotibus» diei 27 aprilis 1964 ubi dicitur expresse: «... princeps locus in iure tribuatur ipsi officio, *quod late accipitur* ...» (p. 13).

Commissioni huic autem competit bene delineare notionem officii il- lamque, si opus ferat, restringere, quia nullibi in Concilio sancitum est om- nibus omnino officiis personalitatem iuridicam tribuendam esse. In men- tem revocatur votum Reverendissimi P. Michiels ut determinentur notae ex quibus ex ipso iuris praescripto deduci possit quaenam officia personalitate iuridica gaudeant.

His, ad modum introductionis, delibatis, canones generales de bonis Ecclesiae temporalibus examinantur in ordine ad recognitionem ipsorum. Ad hunc finem Consultores rogantur ut in adunatione diei sequentis sche- ma exhibeant redactionis cann. 1495-1499.

Can. 1495

Interea aliqua discussio praeliminaris habetur de can. 1495.

Rev.mus Relator dicit materiam huius canonis ad ius publicum eccle- siasticum potius pertinere, legislatoresque Codicis Juris Canonici illum hic posuisse, non absque solemnitate quadam ad vindicanda iura Ecclesiae. Considerandum ergo est num conveniat transferre assertum can. 1495 ad Codicem fundamentalem eo vel magis quod aliqui possent quaerere de op- portunitate eum ab hoc loco tollendi propter rationes oecumenismum fo- vendi. Si censeatur canonem debere hic manere, expoliendus est verbis quae spiritum polemicum sapere videntur.

Rev.mus tertius Consultor censet claritatem in hac materia desideran- dam esse. Sunt de facto qui negant ius Ecclesiae possidendi, ergo debet il- lud ius Ecclesiae vindicari claris verbis.

Rev.mus quartus Consultor plaudet rationibus oecumenismi, tamen non possunt ex illis conclusiones trahi quae aliquomodo iura Ecclesiae ne- gligant. Ipsa commendatio Concilii ut Sacerdotes utantur bonis temporali- bus « tantummodo ad eos fines, ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinationem eadem destinari licet » (Constitutiones, Decre- ta, Declarationes, p. 666), minime praejudicat quaestionem iuris de bonis ecclesiasticis.

Adunatio III^a

die 25 ianuarii 1967 habita

Sunt praesentes Rev.mi secundus, tertius et quartus Consultores, nec- non Rev.mus Relator, et Rev.dus Voto.

Rev.mi tertius et quartus Consultores exhibent schemata cann. 1495-1498:

Schema Rev.mi tertii Consultoris:

«Can. 1495

Ecclesia, cum sit societas visibilis ac perfecta et pro hominibus in terris constituta, bona etiam temporalia cuiuscumque generis omnibus iustis modis acquirere potest eaque retinere et administrare valet ad fines Ecclesiae proprios obtinendos, i.e. ad cultum divinum promovendum, ad ministros proprios sustentandos, ad fidem ubique terrarum propagandam et Ecclesiae actionem religiosam et charitativam perficiendam.

Can. 1496

Subiectum huius iuris est imprimis Sedes Apostolica, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Dioeceses seu Eparchiae, Paroeciae aliaeque personae morales, quae sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competenti concessione in iuridicam personam erectae sint, ad normam canonum. Bona ecclesiastica alicui officio stabiliter adnexa, subiacent naturae et fini officii ecclesiastici eisque reguntur ad normam canonum, non cumulantur nec ab officio ecclesiastico separari valent.

Can. 1497

Ecclesiae ius quoque est, a civili potestate independens, acceptandi imo etiam exigendi a suis subditis seu membris ea bona temporalia, quae ad fines Ecclesiae proprios in humana et visibili societate sunt necessaria. Christifideles vero, qui bonis temporalibus potiuntur, pro eorum mensura vel abundantia necessitatibus Ecclesiae succurrere tenentur.

Can. 1498

Bona temporalia in Dominio Ecclesiae existentia sunt bona ecclesiastica, quae si ad divinum cultum consecratione vel benedictione destinata sunt, sacra nuncupantur. Dominium vero bonorum ecclesiasticorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit, vel ad id officium cui stabiliter adnexa sunt, ad normam canonum ».

Schema Rev.mi quarti Consultoris:

«*Can. 1495*

§ 1. Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum ius habent acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos et exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria.

§ 2. Etiam ecclesiis particularibus aliisque personis moralibus quae ab ecclesiastica auctoritate in iuridicam personam erectae sint, ius est, ad normam sacrorum canonum, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi atque a fidelibus exigendi quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum sustentationem et ad reliquos sibi fines proprios sint necessaria.

Can. 1497

§ 1. Bona temporalia, sive corporalia, tum immobilia tum mobilia, siue incorporalia, quae vel ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem pertineant, sunt bona ecclesiastica.

§ 2. Dicuntur sacra, quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt; pretiosa, quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa.

Can. 1498

In canonibus qui sequuntur, nomine Ecclesiae significatur non solum Ecclesia universa aut Sedes Apostolica, sed etiam quaelibet persona moralis in Ecclesia nisi ex contextu sermonis vel ex natura rei aliud appareat».

Examini subicitur schema Rev.mi tertii Consultoris initium sumendo a can. 1495.

Schema Rev.mi tertii Consultoris ita proponit:

Can. 1495

«Ecclesia, cum sit societas visibilis ac perfecta et pro hominibus in terris constituta, bona etiam temporalia cuiuscumque generis omnibus iustis modis acquirere potest eaque retinere et administrare valet ad fines Eccle-

siae proprios obtainendos, i.e. ad cultum divinum promovendum, ad ministros proprios sustentandos, ad fidem ubique terrarum propagandam et Ecclesiae actionem religiosam et charitativam perficiendam ».

Ipse Rev.mus tertius Consultor illustrat hunc canonem:

- dicit «Ecclesiam» qua talem habere ius possidendi, ergo non debet specificari Ecclesia *catholica*;
- «cum sit societas ...» ius nativum possidendi bona provenit Ecclesiae ex eo quod sit societas perfecta.

Rev.mus tertius Consultor nollet in hoc primo canone ponere etiam Sedem Apostolicam in eadem linea ac Ecclesiam. Sedes Apostolica — dicit ipse — ponetur in can. sequenti n. 1496, ubi habentur subiecta huius iuris;

- «ad fines Ecclesiae proprios, i.e. ...». Rev.mus tertius Consultor censet recensendos esse istos fines ad quos assequendos Ecclesiae licet bona possidere.

Rev.mus secundus Consultor dicit necessario servandam esse etiam in hoc canone mentionem Sedis Apostolicae quae est Ipse Romanus Pontifex, qui non potest poni in eadem linea ac alia subiecta iuris et qui potius est veluti fons aliorum iurium.

Rev.mus quartus Consultor:

- dicatur «Ecclesia *catholica*»;
- «cum sit societas perfecta...»: non videtur necessaria ista motivatio;
- «omnibus iustis modis...»: ista appositio est inopportuna quia innuit limitationem aliquam iuris Ecclesiae;
- «ad fines, i.e. ad cultum divinum promovendum, etc....». Fines non recensendi sunt nominatim, quia semper exurgent necessitates quae nunc non praevidentur quibusque Ecclesia occurrere debet.
- Tandem ipse Rev.mus quartus Consultor dicit necessario ponendam esse hic Sedem Apostolicam.

Rev.mus Relator dicit multum disputari inter auctores utrum Ecclesia universalis subiectum sit iuris necne. Proinde saltem propter rationes

practicas dicendum est in hoc canone: «Ecclesia catholica et Sedes Apostolica ...».

Proinde can. 1495 ita redigitur:

«Ecclesia catholica et Apostolica Sedes bona iure nativo acquirere retinere et administrare valent ad fines Ecclesiae proprios prosequendos».

Hac solutione data, Rev.mus tertius Consultor dicit non amplius suum schema haberi posse tamquam basim discussionis, quia, pro suo iudicio, omnia subiecta, sive Sedes Apostolica, sive Patriarchatus, sive paroeciae etc... aequo iure habere ius nativum possidendi bona.

Alii consultores, e contra, minime admittunt sententiam Rev.mi tertii Consultoris; consequenter unanimi consensu ita ponunt canones 1496 et 1497:

Can. 1496

«Subiectum iuris ad acquirenda, retinenda et administranda bona temporalia sunt Patriarchatus, Archiepiscopatus, Dioeceses, paroeciae aliaeque personae morales, quae ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentiis auctoritatis concessione in iuridicam personam erectae sint».

Can. 1497

«Ecclesiae ius est, a civili potestate independens, exigendi a fidelibus quae ad fines sibi proprios sint necessaria».

Adunatio IV^a

die 26 ianuarii 1967 habita

Sunt praesentes Rev.mi secundus et quartus Consultores necnon Rev.mus Relator et Rev.dus Voto.

Siquidem in cann. 1495-1497, in adunatione praecedenti approbatis, tantum generice locutum est de finibus ad quos prosequendos Ecclesiae bona possidere licet, Consultores censem ponendum esse hic canonem circa illos fines, sumendo verba, quantum fieri possit, a *Decreto de Presbyterorum ministerio et vita*, n. 16.

Canon ita a Consultoribus redigitur:

Can. 1498

«§ 1. Bona temporalia eos in fines ab Ecclesia possidentur et administrantur ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinacionem eadem destinare licet.

§ 2. Fines ad quos prosequendos Ecclesiae licet bona temporalia possidere sunt cultus divinus ordinandus, honesta cleri sustentatio procuranda, opera sacri apostolatus vel caritatis exercenda ».

Rev.mi quartus Consultor et Relator censemunt hic ponendam esse ut can. 1499 saltem partem centralem can. 1497 CIC, i.e. quid veniat nomine «bonorum ecclesiasticorum». Aliae denominations recensebuntur suo loco vel in «de verborum significatione». Ponitur ergo hic canon:

Can. 1499

«Bona temporalia cuiusvis generis, quae ad aliquam personam moralem in Ecclesia pertineant, sunt bona ecclesiastica».

Circa canones 1500 et 1501 CIC Consultores censemunt illos transferendos esse in locum aptiorem ut puta in partem generalem de personis. De qua re invocatur decisio Coetus Centralis Consultorum.

Adunatio V^a

die 27 januarii 1967 habita

Sunt praesentes Rev.mi secundus et quartus Consultores, necnon Rev.mus Relator et Rev.dus Voto.

De bonis Ecclesiae acquirendis

Consultores censemunt hic primo loco ponendam esse § 2º can. 1499, § 1º suppressa:

Can. 1500

«Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit».

In cann. 1502-1507 CIC sermo est de taxis et de tributis in Ecclesia.

Rev.mus secundus Consultor censem in posterum exactiones imponendas esse officiis quia ipsis adnexum erit ius ad redditus percipiendos. Consequenter Rev.mus quartus Consultor putat determinandum esse quid honesta sustentatio in concreto importet, ita ut melius determinari possint exactiones titularibus officiorum imponendae.

Rev.mus Relator notat canones 1502-1507 CIC constituere aliquid praeeliminare, i.e. rationes praebere, obligationes et fines determinare tributorum ecclesiasticorum. Etiam novi canones oportet ut illas rationes, obligationes et fines praeweant. Hoc modo, notat Rev.mus quartus Consultor, qualitas et quantitas exactionum non relinquuntur simpliciter ad arbitrium Episcoporum vel Conferentiarum Episcoporum, sed criteria aliqua enucleantur quibus omnes tenentur.

Canones communi consilio et labore Consultorum et Rev.mi Relatoris ita rediguntur:

Can. 1501

«§ 1. Fideles vera obligatione tenentur contribuendi ut fines de quibus in can. 1498 § 2 Ecclesia assequi possit. Episcopi de hac obligatione fideles monere debent et, opportuno modo, eam urgere curent.

§ 2. Sciant fideles se teneri obligatione procurandi necessaria subsidia ad honestam sustentationem eorum qui in bonum spirituale fidelium in Ecclesia operam impendunt. Episcopi de hac quoque obligatione fideles monere tenentur».

Can. 1502

«Tributa quae ab Episcopis imponi possint haec praesertim sunt: pro seminario, pro aedibus sacris reficiendis aut noviter extruendis, pro cleri praevidentia et assistentia, pro scholis catholicis, pro necessitatibus dioecesium pauperiorum».

Can. 1503

«Normae quibus tributa moderari debent sive a singulis Episcopis, auditis consiliis presbyterorum et pastorali, pro sua cuiusque dioecesi, sive a Conferentiis episcopalibus, pro communi territorio, statuantur».

* * *

Ad sensum eorum quae in adunationibus praecedentibus dicta sunt, canones 1495-1507 ita proponuntur recognoscendi:

Can. 1495

Ecclesia catholica et Apostolica Sedes bona iure nativo acquirere retinere et administrare valent ad fines Ecclesiae proprios prosequendos.

Can. 1496

Subiectum iuris ad acquirenda, retinenda et administranda bona temporalia sunt Patriarchatus, Archiepiscopatus, Dioeceses, paroeciae aliaeque personae morales, quae ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentiis auctoritatis concessione in iuridicam personam erectae sint.

Can. 1497

Ecclesiae ius est, a civili potestate independens, exigendi a fidelibus quae ad fines sibi proprios sint necessaria.

Can. 1498

§ 1. Bona temporalia eos in fines ab Ecclesia possidentur et administrantur ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinacionem eadem destinare licet.

§ 2. Fines ad quos prosequendos Ecclesiae licet bona temporalia possidere sunt cultus divinus ordinandus, honesta cleri sustentatio procuranda, opera sacri apostolatus vel caritatis exercenda.

Can. 1499

Bona temporalia cuiusvis generis, quae ad aliquam personam moralem in Ecclesia pertineant, sunt bona ecclesiastica.

Can. 1500

Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit.

Can. 1501

§ 1. Fideles vera obligatione tenentur contribuendi ut fines de quibus in can. 1498, § 2, Ecclesia assequi possit. Episcopi de hac obligatione fideles monere debent et, opportuno modo, eam urgere curent.

§ 2. Sciant fideles se teneri obligatione procurandi necessaria subsidia ad honestam sustentationem eorum qui in bonum spirituale fidelium in Ecclesia operam impendunt. Episcopi de hac quoque obligatione fideles monere tenentur.

Can. 1502

Tributa quae ab Episcopis imponi possint haec praesertim sunt: pro seminario, pro aedibus sacris reficiendis aut noviter extruendis, pro cleri praevidentia et assistentia, pro scholis catholicis, pro necessitatibus dioecesum pauperiorum.

Can. 1503

Normae quibus tributa moderari debent sive a singulis Episcopis, auditis consiliis presbyterorum et pastorali, pro sua cuiusque dioecesi, sive a Conferentiis episcopalibus, pro communi territorio, statuantur.

